



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

116. Quomodo, qua[n]do & vbi interierit Radbodus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

Adu. 2. apud eundem Marcellinum Willeicum obiisse anno 727. & defuncto S. Swiberto per decennium Werdam gubernasse. Et quidem dicitur hoc consequenter ad ea quæ idem habet S. Swibertum obiisse anno 717. nos autem mox suprâ probauimus S. Swibert. obiisse anno 715. vnde consequitur, si decem annis defuncto S. Swib. Werdam rexit, eum obiisse anno 715. Sacras eius exuias potissimum seruati Dufeldorpij & Werdæ, aliquas etiam Colonię monet Gelenus in sacris Coloniensium. Vnde aut quo tempore Traiectum aduenerit, quot annis in ea Diocœsi prædicauerit, est planè tenebris sepultum.

## DISSERTATIO CXVI.

Quomodo, quando & vbi interierit  
Radbodus.



T è viuis excessit gloriosus Pipinus cuius armorum timore Frigidi Frisij continebantur, Radbodus quasi laxatis habenis, contemptui habens adolescentiam Martelli ( erat is viginti tantum annorum ) & in occasionem sumenseiusdem captiuitatem, simul dissidia Principum Francorum ob successionem in Maioratum, impietatis castra in Frisiam Orientalem Austrasiamque mouet. Confederatus deinde Martelli aduersarijs Chilperico, quem debellato Theobaldo Plectrudis nepote Regem Franci constituerant & Raginfredo quem magistrum equitum siue Maiorem Domus crearant, Coloniã vsque populabundus excurrit. In quem è carcere elapsus dum insurgit Martellus  
magno

magno exercitus sui damno victus est anno 715. teste Sigeberto. animo tamen inuictus mansit. Nam resumptis viribus Chilpericum persecutus ad Amblauum circumuentum spoliauit 3. Kalend. Aprilis; postea in pago Cameracensi, apud Vinciacum, Dominico ante pascha, quod erat 13. Kalend. Aprilis Chilperico & Raginfredo iterum congregitur. Raginfredus victus in fugam vertitur: Karolus eos vsque Parisios persequitur anno 718. eodem Sigeberto testante. Victorijs adauctus Karolus Coloniam ingreditur, Thesaurorum patris è manu nouercæ potitur Maioratum Domus plenè auspicaturus.

Radbodus eius prosperis successibus consternatus in Frisia versans tandem fato suo cessit anno 719. iuxta comunè Chronologorum calculum.

Quo mortis genere, non vnum est omnium testimonium. Recitabo primò quædam compendiose & illustrabo à proposito nostro non aliena ex actis S. Wulfranni Frisix prædicatoris sedente Willibrordo quæ conscripsit Ionas Monachus Fontanellensis contemporaneus.

Barbarus Ethnicorum in Frisia erat mos sorte deligere quosdā Dijs sacrificandos. Sorte cadente in duos pueros aquarum suffocatione immolandos, B. Wulfrannus eorum & Matris vbertim flentis misertus, super aquas instar D. Petri gradiens eos fluctibus iam iam deuoraturis eripiens, in aridam eos traductos Matri restituit. Viso illo prodigio præfens Radbodus multum de sua pertinacia remisit, sed vtinam extinxisset. perstitisset vtinam. Nam vt ad fontē baptismatis duceretur, fortè ex Wulfranno Præsule, vbinam esset maior numerus Principum & nobilium gentis Frisonæ, quæsiuit; cælestinè in regione, ad quam baptismatis gratia peruenturum se promittebat, an verò in ea quam tartaream Wulfrannus nominabat. Cui vir

Fff

sanctus,

sanctus, quid, inquit, errore deciperis? omnes, quorum perfidia Christi gratia sanata non fuit, & quorum fordes sacro fonte purgatæ non sunt, certum indubitatumque est, in tartaream sempiternæ miseræ regionem (quorum ingens est numerus) præcipitatos esse. Qui verò ad hunc fontem Christi gratia vocantur, in cælesti regno incredibili gaudio sine fine exultabunt. Hæc audiens perfidus, pedem à fonte retraxit, & ait; at ego Principum meorum Frisonum consortio carere non possum, & in cælesti regione cum exiguo pauperum numero residere nolo: tum beatus Præsul, ô te infelicem! Siccine iuvat, dæmonis fraude deceptum, ad sempiternos properare cruciatus? multaque alia de poenitiæ & sacri baptismi necessitate S. Pontifice dicente & docente, multi Frisonum credebant & baptizabantur. Interea Radbodus animo in diuersas valde repugnantisque sententias distracto, Willebrordum eiusdem gentis Episcopum aduocari iussit; sed iam antequam ille adesset, ipsi inuolutus tenebris, perfidiæ suæ pænas celeri morte pependit. Diu perfidus animum in varias partes versabat, & quidnam factu optimum foret, stultè admodum deliberabat; cum Ouo, (qui de mortis periculo beati Præsulis virtute ereptus, Christo nomen dederat, & tunc sacris initiatus sacerdotij munus sub habitu monastico in Fontanellensi cœnobio, cum non mediocri sanctitatis opinione, administrabat) clarissimè cognouit, quid Radbodum à lauacro regenerationis retardaret. Nam vt Princeps in infirmitate constitutus esset, vidit nocte quadam hominem illustrem ad se venientem vestium gemmarumque splendore incredibili micantem, qui ita ad eum sermonem instituit: Dic, quæso, virorum fortissime, quæ te dementia vexat vt cultu deorum neglecto, & auita religio-

ne,

ne, pro qua ad extremum vitę spiritum Principes innumerabiles cum insigni nominis sempiterni gloria decertarunt, contemptā, statuas ad obscura quędam numina, & hactenus incognita transire. Vide nē te Vulfrannus in fraudem inducat. Cęlestes is tibi sedes promittit? fucus tantum verborum est. Re enim vera ego sum, qui diuitias & honores tribuo, & mansiones inuictis Principibus pulcherrimas assigno. Si difficile videtur verbis meis fidem adhibere, periculum facito, nihil moror; legatos mitte, ego eis ostendam mansionem eximię pulchritudinis & fulgoris, quam tibi post pusillum sum daturus. Hęc cum accepisset, mane factō, Vulfranno cuncta exposuit. Qui ingemiscens has perniciosas Dæmonis insidias esse dixit, quibus homines in sempiternam miseriam præcipitat, contemplans, à lachrymis temperare non potuit. Et nē alia pro alijs à gentilibus fingerentur, misit cum quodam Frisone Diaconum suum, vt illam, quam dæmon fingebat, regionem lustraret. Vix pedem oppido extulerant, cum quidam se itineris comitem offerens, inquit; venite, me sequimini, ego vobis domum eximię pulchritudinis, Radbodo Principi à dijs paratam, ostendam. Illi vestigijs eius alacriter insistentes, post varia loca multo labore superata, in viam quandam marmoreo opere decoram peruenerunt, in cuius exitum domus auro, vt putabatur, purissimo contacta, stabat.

Ingressi domum, thronum gemmis incredibili fulgore micantibus ornatum conspiciunt. Tum ductor itineris; hęc sunt præmia quę Principem nostrum, si in Deorum cultu perseuerauerit, manent. At Diaconus stupore ex gemmarum fulgore & admirabili domus totius ornatu oppressus, Heu, inquit, si Deus immortalis ho-

rum conditor est, maneat, sin diabolus, dispereant. Hæc dicens, & crucis se signo muniens, dux itineris euauit: & illi in vasta & horrida solitudine relictos se vident. Tum demum fraudes cognoscere, & miseram mortalium seruitutem, qui inimico aures præbent, lamentari, & trium itinere dierum multis laboribus emenso, domum tandem peruenerunt, principemque miserabili morte sine baptismatis sacramento extinctum inueniunt, idque anno 719. qui erat septimus Caroli Principis.

Hæc sunt Ionæ, quamquam alijs & breuioribus expressa verbis. Inde colliges secundum eius scriptionem interiisse Radbodum versante in Frisia Wulfranno post miseram ludificationem extra prælium & vulnus, siue naturali morte, siue Deo extraordinario medio vitam eius abruptente. Alius tamen in prælio victum occubuisse: alius naturali fato celsisse: alius amisso prælio post, siue ex vulnere, siue alio ex dolore symptomate obiisse. Ex quibus omnibus eligo Aimoinum (quem etiam eligere video Ianum Doufam libro Annal. Hollan. ) Franciæ vetustum scriptorem, iuxta quem Carolus Martellus Radbodi insolentiam castigaturus & de iniurijs illatis vindictam sumpturnus expedito exercitu in Amstrachiam & Austrachiam Frisiæ insulas ruens, super Burdone fluuio cum Frisijs conficiens triumphat, Radbodo inferiore victo in prælio occumbente. Eligo, inquam, magis hunc, præcipue præ Iona, quamquam non desint ei sequaces, vt Beka, Heda, Sigebertus. Quia in primis Historia de ludificatione Radbodi interemptiua fabulosum quid sapere videtur, sicuti confictam esse probat Bernardus Furmerius in Annal. Frisiæ nostræ sententiæ insistens. 2. Ionas quædam habet falsa, imò sibi repugnantia quæ narrationem merito suspectâ reddunt: ait Wulfrannum in Frisiam aduenisse an-

no 700. ac quinquennio prædicationem absoluisse; unde sequitur Frisia exiisse in Gallias ann. 705. aut 706. quod & nos verum reputamus, cum probatis auctoribus, Miræo, Furmerio.

Sed tunc quomodo præsens in Frisia anno 719. fuit Wulfrannus pereunte Radbodo quemadmodum idem Ionas perhibet? Asyntheta sunt hæc. Item narrat Wulfrannum post reditum ex Frisia Episcopatum aliquot annis administrasse, eoque tandem resignato in Fontanellensi Coenobio aliquo tempore pietati vacasse obijseque anno 720. quomodo ergo Frisijs interfuit pereunte Radbodo? inter 719. & 720. non est inuenire annos quibus administrasset Episcopatum apud Senones, & quibus Monasticam exercuisset in Fontanella. Aliud falsum adiungit Ionas, dum inquit annum 719. esse 7. Principatus Caroli Martelli: nam post obitum Pipini, qui contigit anno 714. primò auspicatus est Principatum Martellus: imo propter difficultates occurrentes, de quibus supra, probabiliter non nisi post annum 715. Ab anno autem 714. aut 715. non sunt plures quam quatuor aut quinque anni.

Hos parachronismos & antilogias in Iona improbarunt priuatim docti viri à me in hisce tricis rogati. Et circumstantiæ hæ non parum eleuant de Radbodi morte factum discursum. Moneo tamen lectorem hæc antiquo scriptori Ionæ me non imputare, sed posterioribus, qui vel opus Ionæ ex incitia deprauarunt, aut de suo aliqua insuerunt, quemadmodum ab aliena manu intertexta esse contextus facies prodit. Accidit hoc cuiusuis generis scriptoribus præsertim historicis, siue sæcularibus, siue Ecclesiasticis, cum typis nondum repertis calamo scripta omnia exarentur. Nam cum nunc illustrandi, nunc explendi gratiâ non raro suos Codices, qui curiosiores erant, glosse-

matris vel appendicibus pro arbitrio suo adornarent, frequenter enenit vt inertes & imperiti Librarii, qui inter genuina & supposititia dijudicare non poterant, in contextum simul omnia referrent: aut ipsimet studiosi quem amabant authorem locupletare suis studebant, Zelo non secundum scientiam.

Crediderim ego Ionam de ludificatione Radbodi narrationem symbolicā aut hieroglyphicam proposuisse, qua demonstraret vanas imaginationes ethnicorum de fœlicitate futuræ vitæ quibus à demone interius illuduntur ac tandem miseri in æternum barathrum præcipitantur. Quā alij non aduertentes, tanquam realiter facta omnia acceperunt, simul confusionem temporum adiicientes.

Radbodum temeritatis & irrisionis in baptismum pœnas dedisse non est dubium: hinc veteris & Christiani Poetæ Christiana exclamatio:

*O locus! ô Dirum, & tibi formidabile semper  
Elogium, Radbode, tuum post tristia fata!  
Sic eat ò Christi quisquis detrectat habenas.*

**M**Ultò fœlicior fuit eius filia Theudesinda quæ sacro baptisinate suscepto religionem nostrā professā legitimis nuptijs copulata est Grimualdo Principis Pipini filio. Multò fœlicior eius filiulus, qui baptismo lustratus, baptisinate in beatissimas Cœlitum sedes est delatus: multo & ex ipsius posteris eiq̃ue cognominis fœlicior Radbodus Vltraiectensis Episcopus post S. Willibrordum decimus tertius, de quo apud Hedanum hæc: Radbodus siue Radbodo vir illuster, & Regio sanguine ortus (siquidem Maternus Atauus erat Radbodus Rex Frisiorum & Guntherus Colonia



Coloniæ Agrippinæ Episcopus eius aunculus ) vrgente Arnulpho Imp. Episcopus 14. constituitur animo satis renitente. Hic educatus in aula Caroli Regis Francorum, Nannonis Philosophi profitentis septem artes ( quas vocant liberales ) fuit auditor, & vti conijcitur, ipsius Zuentibolchi Regis Archicancellarius, humanis ac diuinis apprimè eruditus, valuit carmine & pedestri oratione: Cuius scripta in vitam & laudem SS. adhuc extant; potens etiam spiritu prophetico & viuens clarus miraculis. Ordinatus autem Episcopus, iam exteriorem hominem suppeditans, & relinquens aulam Regiam, feruore religionis accenditur, orationibus, eleemosynis & corporis macerationi intentus vsque adeo, vt dum conuiuæ vterentur vino, ipse solus & clam illis aquam sumere consuevit.

De eodem sic apud Surium: Beatus Radbodus e nobili Francorum stirpe prognatus, parentes Christianissimos habuit, & ipse suis meritis magno ornamento mundo fuit. Nam ab ipsius propè incunabulis iam animo tendebat ad Cælos. Nomen eius mysterio non vacat, quod consilij nuncium latinè possis reddere. A Christo enim mittendus erat optimi consilij legatus ad Frisios, à quibus maternum duxerat genus, quibus certè optimè consuluit. Dux Frisonum Radbodus, quem alij Regem vocant, matris eius atauus fuit, cuius nomen ei mater imposuit. Scribekius cum Suriano legit Radbodus & interpretatur celer consilij, nuncius consilij, consiliarius &c. & sane veteres plures sic legunt, apud quos interdum reperitur Ratbodus. Attamen A. Miræus in Marginalibus ad Chronicum Sigeberti in anno 718. afferit in manuscriptis diserte legi Rabbodus, indeque Teutonibus venire suum *Rabbaut* i. nequam, scelestus.

A P P E-

## APPENDIX.

De Medemelaka. Amstrachia & Austrachia insulis. de Burdone fluuio.

**N**on desunt qui nequitiam Radbodi & irrisionem baptismi à Iona narratas existiment contigisse Medemelacæ, nunc Medemblicæ, sitæ in Northollandia aut Westfrisia. Crederet istud Doufa lib. 6. Ann. si probari posset Medemelacam tempore Radbodi in rerum natura fuisse; sed probandum non putat; primò, quod in diplomate Othonis, quo Hollandiæ possessionem eiusque oppida exacte enumerata donat Theodorico primo Hollandiæ Comiti, nulla eius sit mentio, aliàs futura si ea tempestate vel datori vel acceptori vnquam vel fando cognita fuisset. Secundò, quod in Pontificijs Ultraiectinæ Diocesis archiuis inter tot vetustissimarum Ecclesiarum nomina, quas Diuus Willibrordus inaugurauit, nulla eius vel tralatitia sit memoria, quam non neglexissent, vtpote in Ciuitate Regia. Admittit tamen ex Heda in Odilbaldo, probabile esse antiquitus vicum fuisse; sic enim ibi legitur inter possessiones Ecclesiæ Traiectensis sedente Odilbaldo: *In Medemelake Regalis decima:* decime enim consueuerunt colligi in pagis aut vicis, non in vrbibus. Sed propter hoc non debuit Doufa negare illam Baptismi illusionem actam Medemelacæ nam Reges & Principes etiam in vicis sæpe habent sua diuergia, palatia, & sic potuit Radbodus Medemelacæ, ibidemque cum Wulfranno supradicta tractare.

Imo

Imo apparet Medemelaka dignus locus fuisse vbi versaretur Rex aut Princeps, quandoquidem ibi penderetur Regalis decima quæ non nisi ex honoratioribus locis solet tribui.

Medemelacam siue Medeblicam à Poetarum; Medea nonnulli ortam fabulantur. Verius est à fluuio allabente nomen esse deriuatum; sicut Flardinge à riuo cognomine. Nunc Medemelaca fluuius penitus desijt.

De Amstrachia & Austrachia insulis, in quas apud Aimonium irruit Martellus, eadem Doufæ lib. 2. Annal. videtur Amstrachia esse Amelandia Frisæ insula ad mare, ternis modo habitata vicis, quondam Comitatus titulo decorata, ab antiqui vocabuli etymologia & nunc non nimium deflexa, nimirum duabus initialibus litteris concordans: & pæne idem significans. Austrachiæ autem hodie nec volam apparere. Mihi verò de Austrachia hodie multum apparet, nimirum *Ostergow* / *Osterreich* olim dictum; apud Willibaldum Ostarr: in vita S. Ludgeri cap. 9. Ostrache pagus, in quo S. Bonifacius Martyrio est coronatus. Veteres enim O. & Ost per Au & Aust grossiori sæpe sono enuntiasse notum est. Sic Austria nobis *Osterrijch* / ex eo dictam historici produnt, quod imperium Germanorum eam versus Orientem prospectet; cui etymologiæ tametsi latina vox in speciem minus conueniat, Germanica tamen ex qua oritur, nihil aliud significat; dicitur enim *Osterrijch* hoc est regnum orientale, id quod latinis est Austria deducto vocabulo ex Vernaculo Germanico mutatoque O in Au.

Itaque Austrachia mihi idem est, quod Ostrache, cui voce & significatione omnino consonat; moderne dictum *Ostergow* / in quo continetur *Doccomium*.

G g g

Quinimo

Quinimo totus ille Frisiæ complexus, qui Occidentalis Frisia appellatur, olim Orientalis appellatione venit, licet mutatione temporis omnium inuersoris Embdani eo nomine solum gaudeant.

Amstrachiam mallem esse tractum circa Amasium fluuium *Aems* aut *Eems trach* id est tractus & Amstrachia Amasij tractus. sane non minus conuenit in litteris & etymologia quam cum Doufæ Amelandia. Magisque mihi imprimò, quod credibile admodum sit Martellum cum exercitu Coloniâ ex Francia venientem, primò in Westphaliæ partes & Regiones circa Amasium irruisse; inde prorupisse in interiorem Frisiam vbi Radbodus agebat, quem deinde super Burdone fluuio cecidit; Eo ordine seruato refert Aimonius Martellum irruisse in Amstrachiam (primò scilicet) & tum in Austrachiam, ac post super Burdone in conflictu interfectum Radbodum.

Burdonem vero fluuium inter Amelandiam & Scellingam in fulas in Oceanum olim iussisse, sentit idem Doufa ibidem, indicarique hoc modernis vetusti nominis reliquijs *Boerdiep* quanquam corrupte pronunciatum, cum efferri deberet *Boyndiep* quasi *Burdenstiep* id est Burdonis profundum. Itaque fluuius Burdo nomine suo in partem & alueo in vniuersum excidit. Et quid mirum? quandoquidem etiam Rex ille fluuiorum Rhenus, & medij ostij sui ad Caduicum, & tertij vbi in Fleui nomen transibat, iacturam fecisse comperiat. Sæculorum enim aquarumque decursibus factum, vt brachiorum aliquot, quibus antea (ex Pliniana descriptione) in Oceanum aut Lacus deuoluebatur, vsum penitus amiserit.

Ego vero contendo Burdonem esse fluuium Bordne aut Borthne ad Docomium, iuxta quem interfectus est Bonifacius, de quo S. Willibaldus cap. 2. vitæ Bonifacij & Othlo-

Othlonus lib. 2. cap. 26. agens de Martyrio S. Bonifacij dum ait, cum venissent ad flumen quoddam Borthne vocatum, quod est in finibus eorum, qui dicuntur rustica lingua Oiter, **Oostergow** / Austrachia, & Westerriche, **Westergow**. Non minus sane conuenit Bordne cum Burdone, quam **Boerdiep** Doufæ. Neque disconuenit ordo Aimonij scribentis Martellum in Austrachiam **Oostergow** irruisse & mox super Burdone fluuio Radbodum deuicisse. An Alueo totus hodie exciderit, est incertum. Aduerto in topographia Frisæ ad & circa Doocomium riuos aliquot fluere, & ad Oceanum vergere; aliquem istorum portari ab antiquo Burdonis alueo, mihi est probabile. Alluebat & Burdo siue Bordne Doocomiensem vicum, vltra quem per varios sinus ad Oceanum patrem inter Amelandiam & Scellingam properasse, posset concedi.

## DISSERTATIO CXVII.

De recessu S. Bonifacij à S. Willibrordo in Angliam & profensione versus Romam.



Infridus, alias S. Bonifacius, postquam duodecim annis S. Willibrordi discipulus & cooperator in Frisia adhæssisset, exortis grauibus bellicorum tempestatibus, quarum supra est facta mentio, inter Carolum Pipini defuncti gnatum & Radbodum Frisiorum Regem; quæ Ecclesijs Christi grauissimo erant detrimento, in Angliam ad suum Cœnobium redijt anno 716. In quo per annum & vltra sum-